

Quum mihi mandatum esset, ut conscriberem libellum, quo invitarem ad progressus discipulorum omnium ordinum explorandos, multum diuque cogitanti, quam sumerem materiam cum dignam, quae tractaretur, et idoneam, quae ab hominibus doctis legeretur, tum cui tractandae par mihi esse viderer, in mentem venit locos aliquot Lucretianos, difficiliore intellectu, qui perperam explicati videbantur, aut interpretari aut ad examen criticum vocare. Schaubius enim, qui rebus scholasticis provinciae nostrae regundis praefectus est, quae est eius humanitas summaque auctoritas, quum nuper venisset, res scholasticae quo statu essent, inspecturus, suasit, ut praeceptores gymnasii semel per hebdomadem convenirent ad rem quampiam ad literas pertinentem communiter tractandam. Nobis igitur omnibus placuit, ut T. Lucretii Cari de rerum natura carmen legeremus, quod tum propter elegantiam sermonis, tum propter obscuritatem rerum et sententiarum, tum propter philosophorum placita, tum propter carminis et rerum gravitatem, dignum videbatur, quod legeretur. Qua ex communi illa lectione quantum fructum perceperim, vix dicere queo. Quicumque vero vel semel hoc sublime carmen inspexerit, non solum propter sententiarum obscuritatem maximis difficultatibus, sed etiam propter incredibilem quandam textus depravationem, quae est in libris Mss. et in editionibus, premi videbit; facile etiam quivis multos locos male esse intellectos ac perperam explicatos a viris doctis et Lucretium adhuc desiderare interpretem intelliget. De multis autem locis ideo perperam iudicatum videtur, quia viri docti locos, qui similem sententiam continent, minus respexerunt, non illos quidem ex indice desumptos, sed ex repetita carminis lectione profectos. Mihi igitur illud potissimum in his conscribendis agendum videbatur, ut eiusmodi locos ad sanam interpretationem revocarem, quae quidem ex ipso Lucretii carmine eiusque ingenio peti poterat, curaremque, ut Lucretius sui ipse interpret fieret. Nam Lucretius multa in libro primo et secundo obscure dicit, quae in sequentibus libris vel copiosius vel accuratius vel plinius exponit. Lucretius in libro primo nil nisi principia rationis suae ponit, refutatis aliorum philosophorum placitis, in libris, qui sequuntur, suam rem copiosius persequitur. Quam ob causam locos obscuriores ex libro primo petitos interpretandos sumsi.

Ac primum quidem inquiramus de vv. 231—232., quos Eichstaedt hac interpunctione adhibita scribit:

*Unde mare, ingenuei fonteis, aeternaue longe  
Flumina suppeditant? unde aether sidera pascit?*

Male enim incidit post vocem mare, ut sit mare nominativus et verbum suppeditant vim habeat intransitivam et idem significet, quod suppetunt i. e., Lambino interprete, parata sunt, quo sensu hoc verbum 1, 548. 1, 1039. 3, 732. legitur; unde factum est, ut in indice latinitatis editionis Tauchnitianae suppeditare explicatum sit per: existere, fieri, oriri et Knebel. verterit:

*Woher nähmen das Meer und die lauterer Quellen den Vorrath  
Und die nie versiegenden Flüsse?*

Sed si locus, qui similem sententiam continent, comparaverimus et sententiarum nexum respexerimus, facile intelligemus post vocem mare non esse incidendum et mare esse accusativum, non nominativum et suppeditare significare idem, quod supplere, subministrare, integrare vel renovare 5, 294. Supra ostendit poeta nihil e nihilo fieri, unde probat nihil in nihilum reduci. Quotidie enim animalia pereunt et nascuntur, fontes aquas, e quibus mare et flumina constant, perpetuo integrant vel renovant. Unde vero haec omnia, nisi quaedam immortalia semina solutis corporibus supersint, quibus renoventur? Quaeritur, qui sint ingenuei fonteis? Ingenuus est idem, quod natus, non manu factus; ingenuei fluvii, quos natura, non ars fecit; Prop. 1, 4, 13. legitur: Color ingenuus i. e. color natus, vel suus, i. e. color, qui inest rei, non arte additus. Ita nostro quoque loco fontes ingenui sunt fontes sui, nimirum maris. Rem ipsam noster copiosius et planius exponit lib. VI, 607., ubi docet, cur ex tot fluviis tantorumque fluminum in mare exoneratione mare non exundet? ibi ingenuos fontes v. 612. *suos fontes* dicit. Unde etiam factum videtur, ut editt. Bon. Ald. 1. 2. ingeniti exhibeant. Caeterum confer 1, 1029—1031. 2, 590. 5, 262. Denique pro aeternaue rectius legitur *externaque*, quae opponuntur ingenuis 6, 610. Sensus igitur huius loci est: Quanam ex re ingenui i. e. nati vel sui i. e. maris fontes et flumina longis cursibus errantia mare integrant? — Aeterna qui praeferunt, comparare poterant lib. 5, 263: et latices manare perenneis, quem locum neglectum esse video.

#### V. 373.

*Cedere squamigeris latices nitentibus aiunt.*

Eichstaedt in indice, qui nitentibus a verbo nitere deducit, egregie lapsus est, quum descendat a verbo niti; syllaba enim verbi nitere prima brevis est. Niti est: multum et magno cum opere conari, *sich stemmen*. *Nitentibus piscibus*, est: *den drän-*

*genden, den sich stemmenden Fischen.* Vis huius verbi primaria est *aufreten*. Cicero de natura deor. 2, 48: veluti crocodili fluviatilesque testudines quaedamque serpentes ortae extra aquam, simul ac primum *niti* possunt, aquam persequuntur.

Inde a versu 566. novum poëta proponit argumentum, cur corpora prima, i. e. atomi, solidissima sint. Primordia enim quamvis solidissima sint, mollia fieri posse Inanis interventu in rebus gignendis, at si naturâ mollia essent, non possent ex iis fieri v. c. silices, ferrum. Eichstaedt autem totum locum sic exhibet:

566. *Huc accedit, utei solidissima materiai  
Corpora quom constant, possint tamen omnia reddi  
Mollia, quae fiunt, aër, aqua, terra, vapores,  
Quo pacto fiant, et qua vi quomque gerantur.*

Lectio vulgaris, ut in editt. Iunt. Ald. 2, est: fiant, Wak. autem recepit ex omnibus fere libris fiunt, et post fiunt posuit semicolon, quod dicunt, utrumque male; nam verba aër, aqua, terra, vapores in appositione non addita sunt vocabulo *omnia*, ut hic sit sensus: *Dazu kommt, dafs, wenn auch die Körper des Urstoffs noch so fest sind, so könnte dennoch alles, was entsteht, weich gemacht werden, z. B. Luft, Wasser, Erde*; potius hoc dicit poëta: Facile aliquis obiecerit, si principia dicis solidissima esse, quo tandem modo in rebus gignendis mollia fieri possunt? respondet: non modo res *durae* fieri possunt, ut manifestum est, sed etiam molles interventu Inanis, ut infra dicit v. 572: unde queant validi silices etc. creari; ita hoc loco omnia fieri possint mollia, quae fiunt aër etc. Coniunctivus fiant necessarius videtur esse. Caeterum observes particulam *quom obgleich* cum indicativo coniunctam esse, ut infra 727. Constare pro esse dicitur 1, 205. 481. 510. 519. 586. 603. 2, 94. 424. Knebel. male vertit:

*nach Art wie*

*Solches geschieht, und welcherlei Kraft sie zusammen verbindet:*

*Da nun einmal gemischt in den Dingen sich findet das Leere.*

Wak. recte interpretatur: Quocunque tandem pacto hae res molles existant et quocunque demum vi negotia eorum omnigena administrantur. Nos igitur totum locum sic interpretamur: *Dazu kommt, dafs (i. q. übrigens), obgleich (quod ex antecedentibus intelligitur) die Körper des Urstoffs noch so fest sind, sie demungeachtet alle weich gemacht werden können, die (so dafs sie) Luft, Wasser, Erde, Dünste werden sollen (vel: so könnte demungeachtet alles weich werden, was — werden soll); wie auch immer sie gebildet werden mögen und durch welche Kraft auch immer sie verbunden werden mögen, weil einmal zugleich in den Dingen (sc. welche gebildet werden) sich das Leere gemischt findet.* Similis sententia redit v. 743. sqq.



Inde a versu 636. Lucretius, positus Epicuri principiis, aliorum philosophorum sententias refutat, ac primum quidem impugnat Heraclitum, qui rerum materiam ignem esse docuerat. Quaerit enim poeta, cur tam variae res possint esse, si ex vero puroque igne creatae sint. Fac enim ignem rerum principium esse, tamen nisi aliud admisceatur, nihil unquam habebis praeter ignem. Nam ignis si condensatur aut si rarefit, aut desinit ignis esse aut ignis naturam retinet; si ignis esse desinit, ignis non est principium; si ignis naturam retinet, hoc tantum condensando et rarefaciendo efficitur, quod contractis partibus ignis erit acrior, disiectis et dissipatis remissior; at evadere frigidum vel frigidissimum, qualia in rerum natura multa reperiuntur, qui intelligi potest? — (Copiosius rem Diog. Laert. exposuit libr. IX, c. 1. n. VI. §. 8. 9.) Iam pergit poeta:

- v. 656. *Id quoque, si faciant admixtum rebus Inane,  
Denseri poterunt igneis, rareique relinqui:  
Sed, quia multa sibi cernunt contraria inesse,  
Et fugitant in rebus Inane relinquere purum;*
660. *Ardua dum metuunt, amittunt vera viae,  
Nec rursus cernunt exentum rebus Inane,  
Omnia denseri, fierique ex omnibus unum  
Corpus, nil ab se quod possit mittere raptim.*

Sensus huius loci sane perspicuus; hoc enim dicit poeta: si id philosophi illi staterent, Inane rebus admixtum esse, probare possent, quod volunt; ignes possent et densari et rarefieri; quum autem hoc fieri posse negent sine Inani, longe aberrant a vero. — Magna autem diversitas lectionis reperitur. Wak. recte omnium librorum lectionem *id quoque* restituit, pro qua Hav. cum vulgaribus *atque hi* exhibent. Id quoque, Forbiger recte monente, absolute positum est, ut supra v. 222. 624. Scilicet admodum frequens est Lucretio hic usus accusativi absoluti pronominum, quod, hoc, *id*, pro: qua, hac, ea ratione positi, quo transitus ab una ad alteram sententiam ita efficiatur, ut simul ipsas sententias arctius inter se cohaerere planius indicetur. Ramshorn. Gr. lat. p. 632. Gr. lat. min. ei. §. 132. 5. Forbiger. ad v. 222. Id quoque significat: *auch in der Art, auch darin, so, insofern.* — Contraria inesse edidit Wak. ex edit. Ver. et Bon., quibuscum conspirant Ven. Ald. 1. et variae lectiones Iuntinae. Lambinus secutus est libros Mss. aut eorum certe vestigia: quorum alii habent *contraria inesse*, alii *musse*, alii *mu*, alii *mussant*, quod retinet et vere quidem. — *Contraria inesse* si legitur, *in esse* aut pro simplici esse dicitur, aut significat: *in esse* sc. in eorum ratione, doctrina, praeceptis. Quae lectio si vera est, in fine versus 657 particula *et* delenda est. Sensus autem huius loci hic est: *Doch weil sie sehen, daß ihnen vielerlei entgegenstehe und sie des reinen Leeren Natur nicht anerkennen wollen, so verlieren sie den wahren Pfad, indem sie die Klippen scheuen.* Mihi autem, quamvis haec sententia integra sit et optimum sensum offerat,

lectio *mussant*, cuius vestigia in libris Mss. aperte deprehenduntur, probabilior videtur, partim quia difficilior, partim quia sententia gravior fit, partim quia hoc verbo ipse Lucretius usus est lib. VI, 1177. et fere eodem sensu. Huius verbi vim egregie Donatus exposuit ad Terent. Adolph. Act. II, Scen. I. v. 53. Praeterea Virgilio frequens est huius verbi usus, Aen. XII, 657. XI, 345., ubi fere idem nexus:

*Cuncti se scire fatentur,*

*Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.*

Lib. XI, 454. 718. Plin. epp. 7, 1. Significat autem submissa ac depressa voce loqui, quod fieri potest metus causa: dicere non audere, haesitare, tergiversari et pauca vel nihil propemodum, certe nihil diserte et clare proloqui. — Caeterum ardua viae et vera viae ex imitatione Graecorum dictum. Vechneri Hellenolex. p. 96. Matth. Gr. Gr. §. 438. Lucret. 1, 1068. 660. 6, 219. 2, 39. 1, 12. Forbig. ad 1, 87. Eodem sensu, quo Lucretius verbo fugitare, Cic. de natur. deor. 1, 25. verbo fugere usus est: „Dum individuorum corporum concretionem fugit, ne interitus et dissipatio consequatur, negat esse corpus deorum, sed tamquam corpus.“ Totum locum sic verto: *Auch insofern, wenn sie zulassen wollten, das das Leere in den Dingen gemischt sei, könnte wohl das Feuer bald dichter, bald dünner gedacht werden; aber weil sie vieles sich entgegenstehen sehen, drucksen sie (scheuen sie sich zu sprechen, wollen sie nicht mit der Sprache heraus) und scheuen sich das reine Leere in den Dingen anzuerkennen und während sie den steilen Pfad fürchten, verlieren sie darüber den wahren.*

Paullo post v. 661. codd. Bodl. Brit. 1. 2. 3. Cant. et editt. Brix. Ver. Ven. Ald. 1. Bon. praebent *exemtum*, inane autem codd. Lugd. 1. 2. Gott., Bodl., Cant., quos libros Wak. et Eichst. sequuntur; Hav. cum vulgatis editt. *exemto rebus inane*, ut iam in editt. Iunt. Ald. 2. legitur. Lectionem vulgatam veram esse facile intelligitur et infra in simili re eandem habes constructionem v. 743:

*Primum, quod motus, exemto rebus Inani,*

*Constituunt, et res molleis rarasque relinquunt,*

*Aëra, solem etc. v. 975.*

Nescio an illa lectio inde exorta sit, quod adiectiva generis neutrius in e exeuntia, quum substantivorum loco usurpantur, interdum ablativum habeant in e exeuntem, Zumpt. Gr. lat. §. 63. c. Pariter Lucretius ablativo substantivi mare utitur, 1, 162.

*E mare primum homines, e terra posset oriri.*

Offendit enim, quod illud *exemto* in codd. Lugd. 1. 2. 3. Gott. reperitur, in quibus legitur *inane*.

V. 663. Eichstaedt recte restituit:

*Nil ab se quod possit mittere raptim.*

Raptim praeter Lambini quosdam codd. exhibent Brit. 3., editt. Ald. 1., Bon. et cum his Lambin., Hav., Wak.; codd. Vind., Brit. 2. et editt. Brix., Ver., Ven. raptum, ceteri libri Mss. raptis. De vulgari lectione, recte monet Forbigerus, non videtur dubitandum, quum Lucretius adverbium in *im* desinentia in deliciis habeat; v. 21. generatim, 2, 974.

proprium, 6, 1142. catervatim, 2, 114. insertim, 3, 388. gravatim, et quum lectioni *raptis* et *raptum* cum praecedentia tum sequentia refragentur. Hoc enim Lucretius dicit: Si rebus eximitur Inane, omnia densentur et ex omnibus fit unum corpus; ergo si unum fit corpus, vides nihil rapti i. e. abripi posse, sed natura corporum haec est, dum Inane statuitur, ut moveantur, ut dent motus et accipiant; si motus accipiunt, facere etiam debent motus, ut ne fiat unum corpus; ergo corpus detrudat corpus necesse est; hoc fieri non potest nisi raptim i. e. celerrime, ut ignis lumen iacit atque vaporem; v. 989. 2, 66. sqq. 104.

Locus difficillimus inde a v. 666—70. sequitur, qui quamquam recte ab Eichst. et Forbig. explicatus est, tamen in edit. Tauchnit. indice de eo perperam indicatur, quia quae esset verbi *reparcere* et praepositionis *re* in compositis vis editor non perspexit. Eichst. hunc locum sic exhibet:

660. *Quod si forte ulla credunt ratione potesse  
Igneis in coetus stingui, mutareque corpus;  
Scilicet ex nulla facere id si parte reparcent,  
Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor  
Omnis, et ex nihilo fient, quaequomque creantur.*

Vulgarem lectionem Wak. mutavit in *coetus* e codd. Lugd. 1. 2., Gott., Cant., quibuscum vet. editt. consentiunt, artificiosius, quam verius, verba igneis in coetus *ἕφ' ἐν* pro *ignes* collecti accipiens. Vulgata praeferenda videtur, quae, Forbigero recte monente, eundem illum sensum longe faciliori modo continet. Pro voce *nulla*, quam Wak. restituit ex omnibus codd. et edit. Ver., cum qua conspirant Brix. et Venet., vulgaris lectio est *ulla*, ut in Iunt. et Ald. 2.; in Ald. 1. et Bon. *una*. Pro *reparcent* alii pessime receptant, alii reportant. Quaeritur, quid significet *reparcent*? Duplex enim huius loci interpretandi obtinet ratio. Nimirum Lambinus, Gifanius, Creechius et editionis Tauchnit. auctor censent verbum *reparco* propter illud suum *re* eandem habere vim, quam multa alia verba, ut *relino*, *reliquo*; nam *relino* non esse iterum *lino*, sed id, quod erat *litum*, *detergo*. Latine autem *parco* id dicere significare: nolo dicere; ita *reparco* facere significare non *parco* facere i. e. libenter facere aut quid tale. Itaque in edit. Tauchnit. indice explicatur: „*reparcent* facere i. e. facient, non *parcent* facere: *re* enim particula simplicibus verbis adiuncta contrariam illis significationem plerumque induit.” Haec interpretatio an vera sit, vehementer dubito. Primum illud observare licet, imperativum verbi *parco* cum infinitivo coniunctum reperiri et sensu quidem prohibitivo, ut imperativi verborum abstinere, fugere, mittere, omittere. Ramshorn. Gr. lat. min. §. 167. Not. 2. Unde *parcere* a ποῖtis pro abstinere ponitur, ut φείδεσθαι a Graecis, e. g. φείδου διδάσκειν, *parce* i. e. abstinere docere. Liv. 34, 32.: *parce* fidem iactare. Ovid. Art. amat. 2, 557. deprendere *parcite* vestras. Ovid. Her. 16, 279. *parce* contemneris; Horat. Od. 3, 8, 26. *parce* privatus nimum cavere. Vech-



ner. Hellenol. lib. II. c. 2. p. 201. Sed non imperativo solum huius verbi utuntur poëtae cum infinitivo, sed alia et tempora et personae huius verbi cum infinitivo coniuncta reperiuntur pro verbo cunctandi. Horat. Sat. II, 2, 58: parcit defundere vinum; Od. 3, 28, 7: parcis deripere horreo amphoram; Terent. Hec. 3, 1, 2: hance vitam parsi perdere. Parcit igitur facere est: abstinere a facto, i. e. nolle facere. An vero praepositio *re* vim simplicis verbi sensui contrariam efficiat, dubito; certe in iis verbis, quae a Gifanio, Lambino, Creech. afferuntur, *re* per se vim contrariam vel negativam non habet; illa verba sunt: refigere, reluere, resuere, revelare, retegere, repignerare, restringere, returare, regelare. — Retegere pedes non est: non tegere pedes, sed bene diligenterque tegere. Sueton. Aug. 78 Bremi. Verbis enim cum *re* compositis saepe inest notio repetitae actionis, unde exoritur vis intensiva. Recinere et resonare, *öfters klingen und hörbar sein*; recolere, *wieder vornehmen*; refigere Ovid. Met. X, 79., *durchaus fliehen*: hanc intensivam vim habet reparco apud Plaut. Trucul. Act. II. sc. IV, 25: „Utinam a principio rei item parsissem meae, ut nunc reparcis suaviis”, *wie du jetzt gar sparsam thust (kargst) mit deinen Küssen*. Plaut. Capt. act. III. sc. I, 26., ubi Taubmannus male interpretatur, reparco esse non parco; Bremius ad Suet. Oct. c. 1. Plerumque autem *re* in compositione idem est, quod retro, ut respicio, revertor, reddo; unde fit, ut saepe negandi vim habere vel privationem notare videatur, quamvis non habeat, v. c. recondere, i. e. retrocondere, i. e. premere; retexere, i. e. retrotexere, i. e. solvere; resignare, i. e. retrosignare, signum amovere, i. e. aperire, Horat. epp. I, 7, 9; Terent. Heaut. 3, 1, 51: relevi dolia omnia, omnes serias, i. e. abstersi lutum vel terram tenacem ab omnibus doliis. Ita in retego, recingo, resero, revelo, recludo idem significat illud *re*. Respondet igitur *re* in compositis maximam partem praepositioni *auf*, quum verbis praefigitur. Interdum est: iterum aliquid facere, v. c. recantare, iterum cantare, sed etiam, quod prius cantatum est, alio carmine contrario delere; refigere, id, quod prius fixum est, rescindere vel educere. Virgil. Aen. VI, 622. Interdum *re* nullam vim habere videtur et compositum pro simplici ponitur; Bremius ad Suet. Oct. c. 78. Denique vim reciprocam induit, e. g. redamo. — Itaque quum nullo exemplo probari possit, *re* praepositionem in compositis vim negandi habere, locus noster verti non debet: *wenn sie das Thun nicht sparen*, i. e. *wenn sie das thun*, *wenn sie das einigermassen thun*, sed cum Eichst. et Forbig. pro *ulla* legendum est *nulla* et interpretandum: Si ab hoc faciundo nulla ex parte abstineant, i. e. si nullo modo abstineant hoc faciundo, i. e. sumendo (facere enim saepius Lucretius usurpat pro sumere, statuere, putare, I, 748; III, 891; IV, 826.) ignes, quum coeant, quum colligantur, exstingui et corpus mutare, i. e. naturam igneam deponere, omnis iste ignis in nihilum recidet. „*Natürlich wenn sie in keiner Beziehung sich enthalten, das gelten zu lassen, wenn sie das so weit treiben, dafs sie es in keiner Rücksicht gelten lassen wollen u. s. w.*“

Postquam Lucretius Heracliti, Empedoclis et aliorum philosophorum de rerum principiis sententiam refutavit, transit ad Anaxagoram, cuius *ὁμοιομερείαν* impugnat. Anaxagoras enim, Cicerone teste (Acad. prior. lib. 2, 37, ed. Schuetz.) dicit: materiam infinitam; sed ex ea particulas, similes inter se, minutas; eas primum confusas, postea in ordinem adductas a mente divina (de nat. d. 1, 11.). Ex partibus vero inter se similibus res omnes componi asseruit, ex ossiculis ossa, sanguinem ex sanguinis guttulis et ἀρχὰς τῶν ὄντων ὁμοιομερείας ἀπεφάνητο (Plutarch. de placit. philosoph. I, 3; Kindervater, Anmerk. und Abhandlungen philosoph. und philolog. Inhalts über Cicer. Bücher von der Natur der Götter T. I. p. 175; Diog. Laert. Anaxag. lib. II. c. 3, 4.). Lucretius fere iisdem verbis, sentiis et exemplis utitur, quibus Anaxagoras. Iam v. 839. pergit:

*Ex auri que putat miccis consistere posse*

*Aurum, et de terreis terram concresecere parveis,*

*Ignibus ex igneis, humorem humoribus esse.*

Haec est lectio omnium librorum, quam Wak. paullo cupidius Bentleii coniecturas amplexus in *auraeque* — *auram* mutavit, quia Lucretius quatuor elementa enumeret, nec quisquam, quid aurum sibi velit, videat. Sed de quatuor elementis omnino non quaeritur et si de elementis voluisset disputare poeta, ossium, viscerum et sanguinis mentionem non fecisset, et si Bentleius ad v. 853. provocat, in hoc, ut Forbigeri argumento utar, superiora omnino non tam plene et accurate repetuntur, ut non alia materia hoc loco atque illo poni potuerit, alioquin enim hic etiam viscera et terra iterum ponere debuit. Nostro autem in loco *aurique* — et aurum veram esse lectionem nemo negabit, qui Diogenis Laertii verba in Anaxagorae vita lib. II, 4, 8. legerit: καθάπερ γὰρ ἐκ τῶν ψηφιάτων λεγομένων τὸν χρυσὸν συνεστάναι, οὕτως ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν μικρῶν σωμάτων τὸ πᾶν συγκροτῆσθαι. Καὶ νοῦν μὲν ἀρχὴν κινήσεως. Denique lectio *ignibus ex igneis* cum Creech. mutanda videtur esse in *ignem*; igneis enim sunt *Feuerstoffe*, ut antea humores *Stoffe der Feuchte*, *Wasserstoffe*, terrae *Erdstoffe*. Perperam igitur Knebel. vertit:

*Die Luft aus Stückchen der Luft;*

rectius vertitur: *Und aus Goldschimmer (Goldkörnchen) könne das Gold bestehen und aus kleinen Erdstoffen die Erde erwachsen u. s. w.*

Denique quaeritur, quid v. 842. significet: putatque? Ridet autem Lucretius Anaxagoram; philosophi enim est argumentis ratione petitis placita sua comprobare, non autem dicere: puto hoc vel illud sic se habere; cf. 839. Cic. de fato c. XX: Optare hoc quidem est, non disputare.

Versus 880 — 883. Eichst. sic exhibet:

*Conveniebat enim, fruges quoque saepe, minaci*

*Robore quom in saxi franguntur, mittere signum*



*Sanguinis, aut aliquid, nostro quae corpore aluntur;*

(*Quom lapidem in lapidem terimus, manare cruorem.*)

Minaci Wak. cum codd. Lugd. 1. 2. Vind. Poor. Brit. 3. Cant., a quibus non recedit edit. Iunt.; Gott. minace; Bodlei. et edit. Brix. Ver. Ven. minacis; edit. Ald. 1. 2. Bon. minutas, quae lectio vulgaris facta est. Minaci pro magno gravique positum est; Virgil. Aen. VIII, 668; Lucret. I, 277. Lectio minutas aperte falsa est; nam quum fruges minutae sunt, non est, quod saxo frangantur. Lectio minutas a librario profecta videtur, qui margini hanc lectionem adscripsit interpretationis loco. Ferri autem potest minacis sc. saxi. Praepositio *in*, quam Wak. ante vocem saxi inseruit et Eichst. servavit, non est necessaria et omitti potest, quod Forbiger. fecit; quum autem codd. Lugd. 1. 2. Bodl. Vind. Brit. 3. Cant. cum edit. Brix. Ver. Ven. eam exhibeant, retinenda videtur. Lucretius enim, qui Graecorum usum maximam partem sequitur, praepositione *in* usus videtur, ut fortius indicaret instrumentum, quo frangerentur fruges; hanc ipsam vim in quibusdam formulis graecum *ἐν* habere nemo nescit. Kuehner. gr. gr. mai. T. II. p. 274. 75.; Plat. resp. VIII. p. 232. ed. Stallbaum.: *ἐν μακαρία ἄρα ἀνάγκη δέδεται (ὁ τύραννος)*. Virgil. Aen. 5, 37. — Aliquid Wak. scripsit subintellecto pronomine eorum; vulgo *alium*, quod Lambinus recte interpretatur: „si verum esset, quod Anaxagoras sibi sumit, conveniebat fruges quoque minutas, cum moluntur, signum sanguinis mittere et aliarum rerum, quae in nostro corpore aluntur, v. g. nervorum, venarum, ossium; sed vocis *aliquid* sensum male perspexit interpretans: conveniebat fruges minutas aut aliquid *praeter* fruges, quo nostra corpora aluntur, signum mittere sanguinis. Melius Creech. interpretatur: alioquin enim oporteret fruges minutas, cum vi lapidis molaris franguntur, sanguinem vel aliquid tale (nervos puta et medullam), quale in nostro corpore nutritur, emittere. Ut melius perspiciatur, quid noster dicat, repetam, quae in prioribus monuit. Lucretius enim dixit Anaxagoram docere, ossa ex minutis parvisque ossibus, viscus ex minutis parvisque visceribus sanguinemque ex multis sanguinis guttis componi; praeterea docuerat res omnes rebus omnibus immixtas esse; illud autem solum apparere, cuius sint plurimae partes in composito exterius et in superficie collocatae; hoc autem est falsissimum; nam si ratio Anaxagorae vera esset, fruges etiam, cum vi lapidis molaris franguntur, minuuntur, sanguinem vel aliquid eorum, quae in corpore nostro aluntur, emittere. Nam si res omnes rebus omnibus immixtae sunt, frugibus quoque inesse debet sanguis, ossa, medulla, nervi, quod ridiculum sane est; si enim illas partes haberent, necesse esset, ut tale signum in lucem mitterent. Quod quia non mittunt, ratio homoeomeriae falsa est. Hunc verum esse sensum colligitur ex Plutarch. de placit. philos. c. 3. — Versum 883: „Quom lapidem in lapidem terimus”, eiiciendum esse monet Faber, cui suffragantur Creech. Preig. Hav. Bentl. et Forbigerus, nihil enim in eo inesse, quod in priori versu „robore — sanguinis” non legatur. Errat autem Faber: nam hic versus, id quod ex v. 884. colligitur, additus tanquam exemplum, quo accuratius mentem aperiret poeta.

du), wenn du besiegt wirst, der Güter beraubt wirst, i. e. Nicht wahr, dafs dir auf diese Weise, wenn du besiegt wirst, deine Güter confiscirt werden? — Particula autem *ut*, recte monente Siebeli, est adverbium, pro utpote vel quippe. Plaut. Bacch. II, 3, 49; Liv. XXXVIII, 18; Liv. XLIV, 39. Vertit Siebelis: *Desgleichen kommt dazu, dafs sie nur weiche Urstoffe aufstellen, von denen wir sehen, dafs sie erst durch Geburt entstanden und ganz und gar sterblichen Körpers sind, als auf welche Art das All zum Nichts zurückkehren müfste.* Nos interpretamur: (dazu kommt gleicher Weise) i. e. *desgleichen ausserdem sc. sind sie gescheitert, weil sie die Urstoffe der Dinge weicher Natur halten, die doch, wie wir sehen, erst erzeugt werden müssen und durchaus hinfalligen Wesens sind; als auf welche Weise (da natürlich auf diese Weise) das All der Dinge sofort in Nichts zurückkehren und die Fülle (Menge) der Dinge wieder aus Nichts aufsprossen müfste.*

Operae pretium esse videtur, pauca de particula *iam*, cuius usus in nostro carmine sane multiplex est, monere. Primum vim continuandi habet et adnectendi et inservit connectendis et continuandis sententiis et valet: *ferner*: I, 578. 914. denique *iam*; v. 1082; 2, 431. praeterea *iam*; 2, 171. nec *iam* caetera. — Interdum additur imperativis 2, 332: Nunc age *iam*, ut graecum ἄγε δή; coniungitur etiam cum adiectivis et indefinitis 2, 426: Sunt enim, quae *iam* nec levia etc., *die nun eben, die nun einmal*; 2, 429: faecula *iam* de quo genere est, *von welcher Gattung eben, von welcher Art*, z. B. *gleich die Hefe ist*; 2, 440: ut si forte manu quamvis *iam* corporis ipse Tute tibi partem ferias, atque experiare, *was auch nur gleich für einen Theil*; 2, 447: in quo *iam* genere, *in welcher Gattung z. B. gleich*; 2, 499: *iam* tibi barbaricae vestes, *ferner*: 2, 957: et quasi *iam* leti; 3, 224: aut aliquo cum *iam* succus de corpore cessit, *sonst von einem andern Körper, (welcher es auch sei)*; 3, 238: *iam* triplex, *bereits*; 3, 452: post ubi *iam*, *sobald nur*; 4, 150: ibi *iam* scinditur, *sofort*; 3, 660: omnia *iam* seorsum cernes . . . tortari, *ohne Weiteres*. 3, 1085; 2, 481. Facile intelligitur particulam *iam* in Lucretii carmine partim vim graecae particulae ἤδη, partim δή habere, quam Hartungius, qui nostrae scholae praest, cum in grammatica §. 804., tum in libro de particulis scripto ingeniose exposuit, ubi passim particulae *iam* usum et potestatem tetigit, T. I. p. 265. 230. 238. 246. 261. 279; Cic. Acad. qu. II. c. 40, 125. Urgebor *iam* omnium convicio, i. e. continuo. Goerenz. ad Cic. l. de finn. p. 546.

Pro lectione vulgari v. 758. *virescere* Wak. recte recepit e codd. *vigescere*. *Virescere* interpretamentum videtur esse. *Vigescere* enim descendit a verbo *vigere*, cui inest notio crescendi, *treiben, aufsprossen*. Festus *vigere* a vi agere repetit; hinc proprie dicitur de floribus, plantis etc.; fortius igitur *virescere*, quam *virescere*. Cic. de finn. V. c. 14, 39. Goerenz.; Cic. Tuscul. Quaest. I, 27. Kuehner.

V. 762.

*Quare aut congressu peribunt,**Aut ita diffugient, ut, tempestate coacta,**Fulmina diffugere atque imbreis ventosque videmus.*

Wak., quem Eichst. et Forbig. sequuntur, exhibet coacta, quam lectionem omnes omnino libri MSS. et vett. edd. praebent; Lambinus e coniectura, ut videtur, dedit coorta. Lambinus quidem commentum suum defendit, ad vulgarem loquendi usum provocans; sed nemo dubitat, quin Latini dicant coorta tempestate, nec erat, quod locos ex Cicer. scriptis petitos afferret, quibus illum usum comprobaret; sed illud quaeritur, quam lectionem codd. et MSS. praebeant et cuius lectionis sensus sit probabilior, quaeque magis poetica sit locoque nostro magis conveniens. Neque vero Forbigero suffragari possum, qui cum Eichst. post coacta intercidit, atque hanc vocem cum tempestate coniungit. Laudat quidem Forbiger. V, 955., ubi legitur: imbreisque coacti, et VI, 210: „hasce (sc. nubes) igitur quom ventus agens contrusit in unum, compressitque locum cogens“; sed illi ipsi loci probant coacta referendum esse ad fulmina, quia nostro loco sequitur *atque imbreis ventosque*; deinde noster, ubicunque de tempestate disserit, verbo cooriri, non cogi utitur, quod non est negligendum, V, 437; VI, 195. 458. 643. Nullo alio in loco reperitur coacta tempestate; unde suspicor comma post coacta delendum et coacta cum voce fulmina coniungendum esse. Ita locus noster colorem magis poeticum induit. Fulmina autem tempestate coacta sunt: elisi nubibus ignes vel vi expressi, 5, 1014. torti, excussi, 6, 689. 180. 160. 210. 295. 311. 315; nubibus abrupti ignes 2, 214. Similiter Virgilius hoc verbo utitur: captique dolis lacrimisque coactis (*erprefste Thränen*). Virgil. Aen. 8, 432; Valer. Flacc. Argon. 2, 22. Interpretamur autem sic: *Darum werden sie entweder, wenn sie zusammenkommen, vernichtet oder so zerfliegen, wie wir im Wetter erprefste (hervorgelockte) Blitze hin und her zucken und Platzregen und Winde sich zerstreuen sehen.* Compares 6, 159:

*Fulgit item, nubeis ignis quom semina multa**Excussere suo concursu.*

2, 204. 214. Gifanio coacta tempestas est: accumulata et maxima, quasi densa et extracta, et comparat Virgil. Georg. I, 322.

*Saepe etiam immensum coelo venit agmen aquarum,**Et foedam glomerant tempestatem imbris atris.*

Knebel. vertit:

*So wie bei gedrängtem Gewitter**Blitze zerfliegen und Regen und Wind vom treibenden Sturme.*

Anaxagoras (Diogen. Laert. II. c. 3. n. 9.) dicit: ἀνέμους γίνεσθαι λεπτονομένον τοῦ ἀέρος ὑπὸ τοῦ ἡλίου, βροντὰς σύγκρουσιν νεφῶν, ἀστραπὰς ἔκτριψιν νεφῶν.



V. 754:

*Huc accedit item, quoniam primordia rerum**Mollia constituunt, quae nos nativa videmus**Esse, et mortali cum corpore funditus, atqui**Debeat ad nihilum iam rerum summa reverti,**De nihiloque renata vigescere copia rerum:**Quorum utrumque quid a vero iam distet, habebas.*

*Quoniam* Wak. cum codd. Lugdd. Bodl. Cant. Brit. 1. 2. 3. et omnibus editt. vett.; Lambinus coniectura ductus scribit quod iam, quem plerique editores secuti sunt. Pro particula *atqui* codd. modo dicti, quibus accedit MS. Poor. cum editt. vett. praeter Iunt. et Ald. 2. omnibus, exhibent *ut qui*. *Vigescere* Wak. recepit e codd. Lugd. 1. Bodl. Vind. Cant. Brit. 1. 2. 3.; a qua lectione non discrepant Brix. Ven. Iunt. Ald. 2.; vulgaris lectio est *virescere*. — Codd. Vind. Bodl. Cant. Brit. 2. 3. cum omnibus editt. vett. *habebis*, quam lectionem Forbigerus male comprobat; vulgaris lectio est *habebas*, quae vera est. Imperfectum enim in memoriam revocat tempus, quo Lucretius de hac re disserebat v. 545. Passim apud alios scriptores et Latinos et Graecos hic imperfecti usus reperitur. Cic. acad. quaest. II, c. 11, 4. De fin. bon. et mal. V, 29, 87. Hartung. gr. gr. 850; Kuehner. gr. gr. m. 438. 4. Sensus igitur est: rerum summam ad nihilum reverti et ex nihilo res gigni aut renasci non posse, iam supra habuisti et nunc habes. — Caeterum ut recte iudicari possit de reliqua lectionis diversitate, repetendum videtur id, de quo Lucretius in antecedentibus disseruit. Disputaverat autem poeta inde a vv. 717 contra eos, qui conduplicant primordia rerum (aëra iungentes igni terramque liquori 713), i. e. contra eos, qui quatuor elementa, quae dicunt, vel tria esse statuunt; prae caeteris deligit Empedoclem Agrigentinum, quem alias summis effert laudibus, eosque refutat inde a v. 743; ac primum quidem, quod Inane reiiciant, quamvis motum, raritatem et mollitudinem, quae sine Inani esse nequeant, admittant; deinde quod omnino finem corporibus secundis esse negent, i. e. quod velint corpus in infinitum dividi posse, nec in rebus minimum aliquid concedant; atqui videmus illud esse extremum rei cuiusque cacumen, quod sensibus nostris minimum appareat; unde colligitur id extremum rerum, quod nos videre nequimus, esse in rebus minimum. Iam pergens tertium addit argumentum:

*Huc accedit item, quoniam primordia rerum**Mollia constituunt.*

Facile vides formulam huc accedit (item) nihil aliud significare, ac praeterea v. 512. 1082; ne autem lector, si scripsisset poeta „quod iam“, cogitaret de formula notissima accedit, quod, ut, posuit particulam quoniam, ut v. 512 et 1082 praeterea quoniam. Hoc loco poetam non scripsisse quod iam vel inde apparet, quod ne uno quidem in loco formula utatur accedit quod. Cf. I, 193. 216. 566; II, 1077. Semel habet accedit quare 6, 1021, quod more Graecorum positum vi-

detur, ut *ὄννεκα* vel *ὄθούνεκα*; Kuehner. gr. gr. 814, 3. Caeterum in recensendis rerum argumentis Latini non solum utuntur adverbis primum, vel principio, deinde, postea, denique, vel: primum, deinde, mox, tum, postremo, sed etiam formulis: adde, accedit. 1, 272 sqq. 504; 2, 590; 2, 787; 6, 618. 623. 627. 629; 1, 713. 847; 3, 841; 2, 398. Sensus igitur hic est: praeterea item magni magno cecidere casu (741), quoniam primordia rerum mollia constituunt. Iam exspectatur in iis, quae sequuntur, particula, quae causam continet. Hoc enim dicit: si primordia rerum mollia sint, quae nos nativa videmus esse, et mortali cum corpore (5, 377), „debeat ad nihilum iam rerum summa reverti etc.” Lectio vulgaris ante vocem *debeat* est *atqui*, quam Eichst. et Forbigerus amplexi sunt; sed quum, ut recte monet Siebelis (in Diurnis Antiquarr. mens. Sept. 1844. Nr. 101.) *atqui* ne *semel* quidem apud nostrum reperia- tur, vehementer dubitandum est, an vera sit. Negari quidem non potest, *atqui* ferri posse et egregium habere sensum; nam *atqui* objectionem cum consecutione et re- futationem involvit, ut recte Goerenz. adnotavit (ad Cic. lib. de fin. I, c. 11. 5. p. 47. Ramsh. gr. lat. 189. III, 5.), et significat *gleichwohl, und doch, aber doch, nun aber*: ut sensus sit: *aber da müßte doch die Summe der Dinge (iam) sofort in Nichts zurückkehren und die Fülle der Dinge wieder aus Nichts aufspressen*; sed quum fere omnes codd. exhibeant ut *qui* et haec lectio longe difficilior sit, quaeritur, quomodo explicari possit. Madvigijs censuit particulam ut coniungendam esse cum verbo *accedit*, quam vocem autem pro *qui* substituatur, non habet. Siebelis autem recte negavit *ut* particulam hoc loco positam cum verbo *accedit* coniungi posse, quoniam repugnet loquendi usus Lucretio frequens, qui semper sine intercessione vocis alicuius huc *accedit* cum *ut* particula coniungat; I, 193. 216. 566; II, 398. 1077; addit autem coniecturam Lambini quod iam veram esse; nullo tamen in loco noster *accedit* cum particula quod coniungit. Recte Siebelis *qui* hoc in loco esse ablativum vetustum suspicatur et significare quomodo, comparans Plaut. Amphit. I, 1, 104; Most. I, 3, 109; Pseudol. I, 1, 87; Terent. Phorm. IV, 3, 50; Corn. Nep. Arist. 3. — Ablativum vetustum *qui* alias in significatione quo modo nisi in interrogatione sive recta, sive obliqua non poni, probe scio, sed illud quoque constat, criticos interdum illud *qui* perperam mutasse, quia negabant aliter hunc ablativum usurpari posse. Ita Cic. Acad. qu. II, 16, 49. codd. exhibent: Soritas hos vocant, qui acervum efficiunt uno addito grano, ubi Lambinus coniectura ductus, quam alii amplexi sunt, *quia* scripsit; sed Huelsemannus recte vidit *qui* significare quomodo. Cuius ablativi vim quum librarii ignorarent vel agnoscere nollent, saepe mutarunt in vocem *quid*; Cic. de fin. V, c. 10, 28; V, 11, 30 Goerenz. Nescio, an in epp. Cic. ad Atticum scriptis lib. VII, 7 fin.: ut *qui* pro ut quid legendum sit: „Depugna, inquis, potius, quam servias: ut quid? si victus eris, proscribaris?” ubi ut quid? explicant *quam ob rem*, censentes, nisi fallor, hanc formulam ex imitatione Graecorum profectam esse; Kuehner. gr. gr. §. 842; rectius fortasse scribitur ut *qui*, ita ut vim ironicam contineat: *Als auf welche Weise (meinst*

Post verba enim „quom lapidem — cruorem” comma ponendum eaque cum iis, quae sequuntur, coniungenda. Ergo de lapide molari non est cogitandum; ita si locum interpretaris, hic versus minime est superfluous et optime convenit, quod poëta addit v. 884. „Consimili ratione.” Caeterum lectio, quom lapidem in lapidem terimus, quae nititur codd. Vind. Cant. et edit. Brix. Ver. Ven. Ald. 1. et Bon., mihi probabilior videtur, quam lapidi lapidem terimus. *In* enim praepositionem cum accusativo si coniungis post verbum terere, exprimere videtur: terendo efficere, ut lapis non solum lapide teratur, sed etiam in partes minutissimas dissolvatur, *einen Stein an einem anderen zerreiben*; idem significare videtur, quod v. 887. friare. Nam si lapide lapidem terimus, etiamsi sanguis insit, sanguinem elicere non possumus, sed ignem; unde etiam Lambinus cruorem mutavit in vocem *calorem*. Quid autem Lucretius his verbis dicat, minus perspicuum est; nisi forte respicit ad id, quod in vita Anaxagorae Diog. Laert. monet: ζῶα γενέσθαι ἐξ ὕγροῦ καὶ θερμοῦ καὶ γεώδους. Similis sententia repetitur v. 860. 3, 787. 5, 131. Hunc sensum expressisse videtur poëta: Si res omnes omnibus immistae (875.) latitant, necesse est, ut ipsis lapidibus immistus sit sanguis; et si lapidem in lapidem terimus, si lapidem friamus, cruor manare debet. Verto sic: *Denn es müßten auch oft die Früchte, während sie mittelst der harten (gewaltigen) Kraft des Mühlsteines zermalmet werden, eine Spur von Blut von sich geben oder sonst etwas von dem, was in unserm Körper (z. B. Knochen, Nerven) genährt (gebildet) wird. Wenn wir einen Stein an dem andern zerreiben, müßte Blut herausfließen; auf gleiche Weise müßten auch oft Kräuter sowohl süße Tropfen der Feuchte (des Saftes) und von ähnlichem Geschmacke von sich geben, wie die sind aus dem Euter des Schafes etc.*

Locus omnium perturbatissimus et intellectu et interpretatu difficillimus est inde a v. 1082 — 1106, quem nuper Siebelis in Diurnis Antiquariis a Bergkio et Caesare editis mens. Sept. 1844. N. 101. explicare est conatus; cui suffragari nequeo. Eichstaedt hunc locum sic typis exprimendum curavit:

*Praeterea, quoniam non omnia corpora fingunt*

*In medium niti, sed terrarum atque liquores,*

*Humorem ponti, magnasque e montibus undas,*

1085. *Et quasi terreno quae corpore contineantur;*

*At contra tenuis exponunt aëris auras,*

*Et calidos simul a medio differri igneis:*

*Atque ideo totum circumtemere aethera signeis,*

*Et solis flammam per coeli caerulea pasci,*

1090. *Quod calor, a medio fugiens, ibi colligat omnis:*

*Quippe etiam vesci e terra mortalia saecula;*

*Nec prorsum arboribus summos frundescere ramos*



*Posse, nisi a terreis paullatim quoique cibatum*

*Terra det: at supra circumtegere omnia coelum;*

1095. *Ne, volucris ritu flammaram, moenia mundi*

*Diffugiant subito magnum per inane, soluta;*

*Et ne caetera consimili ratione sequantur:*

*Neve ruant coeli tonitralia templa superne,*

*Terraque se pedibus raptim subducatur, et omneis,*

1100. *Inter permixtas rerum coelique ruinas,*

*Corpora solventeis, abeant per inane profundum:*

*Temporis ut puncto nihil exstet reliquiarum,*

*Desertum praeter spatium et primordia caeca.*

*Nam, quaquomque prius de parti corpora desse*

1105. *Constitues, haec rebus erit pars ianua leti:*

*Hac se turba foras dabit omnis materia.*

Primum moneo Lambinum hos versus mire transposuisse, ut post versum 1079. sequantur vv. 1095—1106. et post hos vv. 1082—1093., denique v. 1080—1081. Quicumque attendit, hunc ordinem esse perversum et sensui et contextui repugnantem videbit. In meliorem redegit ordinem nostrum locum Gifanius, quem Creechius, Eichstaedtius et Forbigerus secuti sunt.

Lambinus particulam *quoniam*, quod deesset apodosis, coniectura ductus, ut v. 754., mutavit in *quoque iam*, quae locutio, quamquam in Lucretii carmine ne semel quidem invenitur, saepissime autem in recensendis rerum argumentis *praeterea* quoniam legitur, 1, 512. 879. 2, 794. 816. 962., vel: huc accedit quoniam 1, 754.; tamen haec coniectura ferri posset, et Madvigius sane veram esse hanc coniecturam censuit; quoniam autem recte se habet; apodosis deest nec desideratur; enuntiatio autem, quae causam et refutationem continet, inest versibus 1104—1106.

Gifanius monet ad v. 1094 et 95.: versus proximus: „terra det etc.” *παρεμβέβλητο* ob non intellectum *ὑπέρβατον* longissimum. Nam istud: Ne volucris etc. coniungi debet cum verbis: Illud in his rebus longe fuge credere v. 1051. Siebelis recte retinet quoniam, apodosin incipere dicens a versu 1095., et totum locum sic construit: praeterea, quoniam non omnia corpora fingunt etc., at contra exponunt etc., (cave) ne moenia mundi diffugiant etc. neve ruant. Sed vehementer dubito, an unquam *ne* in tali contextu poni possit pro: cave, ne; vertit autem: *Mögen da nur nicht die Mauern der Welt auseinander fliehen* etc.

Pro terrarum atque liquoris v. 1083. Eichstaedt terrarum atque liquores edidit, secutus Lugd. 1. 2., quam lectionem Wak. ut minus vulgarem et elegantiorē recepit. Forbigerus lectionem liquorum damnat, quod Lucretius non nisi duobus locis 1, 771. et 2, 398. huius vocis pluralem numerum usurpaverit; quamvis equidem non perspiciam,

cur liquores lectio elegantior sit, tamen argumentum Forbigeri falsum esse nemo non videt. Equidem praetulerim coniecturam Lambini: *sed terra* atque *liquoris* (cf. 5, 450.), quia pluralis numerus terrae apud Lucretium corpora terrae significat 1, 840. 869. — In v. 1090. pro voce *omnis* in libris vulgarr. igneis legitur, quae lectio in codd. Gott., Brit. 1. 2. et editt. Iunt., Ald. 2. invenitur; ea lectio inde exorta videtur, quod interpretes non viderunt verbum colligere h. l. absolute positum esse pro se colligere, ut 6, 325. scriptum est. Satis enim superque constat scriptores utriusque linguae praesertim in verbis motum aliquem significantibus pronomen reciprocum saepissime omittere et verba activa ipsa sensu reciproco usurpare. Praeter ea, quae copiose attulit Forbigerus exempla ad versum huius libri 398., conferri potest Vechneri Hellenolexia c. 6., ubi nubes exemplorum ex Lucretio petitorum coacta reperitur; absolute utitur Lucretius verbo insinuare 5, 74.; convertere 4, 311. — Similem rem poeta tractat 5, 130. 450. 525. 2, 203. Iam sequuntur versus interpretatu difficillimi 1091—1094., quorum primum v. 1091. Forbig. cum Bentleio spurium esse dicit: „qui ppe etiam vesci e terra mortalia saecla”, quia nullus liber Ms. praeter Lugd. 1. et Brit. 1., nec ulla vetus editio ante Iunt. et Ald. 2. agnoscat; Siebelis quoque in Diurn. Antiqq. nuper hunc versum delendum esse censuit. Verum Lucretianos esse hos versus et nostro loco et sententiarum contextui optime convenire nemo non intelliget. Docet enim Lucretius Stoicos, fautores Centri vel Medii, vehementer errare, dicentes Medium vel Centrum esse: nam Universum esse infinitum; infinito autem, cum neque principium neque finem habeat, Medium esse non posse, quod et ipsum Medium sit quidpiam Extremum. Deinde pergit absurdam sententiam commemorare docentium: terrae tantum et aquae particulas ad Centrum vel Medium, ignis autem et aëris corpora vel semina a Centro niti, ex ignibus etiam a Medio surgentibus astra stellasque fieri et nutriri, (terram autem in Medio positam esse isti philosophi censebant); iam addit hos quatuor versus, causam continentes, cur id Stoici affirmant. Dicunt enim, ut animalia nutriuntur et arbores frondescunt, vireseunt, terra succos et alimenta praebente, ita etiam a Centro nituntur tenuis aëris semina et calidi ignes et sursum feruntur, *ut solis flamma et stellae per coeli caerulea pascantur.* Atqui docent a terra alma nutriri omnia, atomos vel corpora individua esse negantes; unde tandem, quaerit Lucretius, materies suboriri (1, 676. 1037—40.) potest? Nonne hoc modo materies aliquando deerit, ita ut omnia corruant? Nam si terra alma omnia nutrit, necesse est particulas nutriendi exspargendo eam amittere; si autem amittit nec recipit, si vires amissae non restituuntur, perit. Supra v. 1051—1066 Lucretius monuit naturam mundi stare non posse, neque quamquam resolvi posse, si omnia in Medium Summae niterentur.

Stoicos autem docuisse, solem, lunam, stellas, aethera a terra nutriri, satis superque constat. Diogen. Laert. Zeno VII, c. 1, n. LXXI, 145: *τρέφεσθαι δὲ τὰ ἔμπροα ταῦτα καὶ τὰ ἄλλα ἄστρα τὸν μὲν ἥλιον ἐκ τῆς μεγάλης θαλάττης νοερόν ὄντα ἀνάμμα*

τὴν δὲ σελήνην ἐκ ποτῶν ὑδάτων, ἀερομιγῆ τυγχάνουσαν καὶ πρόσγειον οὖσαν, ὡς ὁ Ποσειδάσιος ἐν τῷ ἕκτῳ τοῦ φυσικοῦ λόγου· τὰ δ' ἄλλα ἀπὸ τῆς γῆς. Cic. Academm. quaest. 2, 39. de natura deorum 2, 33. 36. Tuscul. dispu. I, 17, 40. de nat. deorr. 2, 46: „Sunt autem stellae natura flammae. Quocirca terrae, maris, aquarum vaporibus aluntur iis, qui a sole ex agris tepefactis et ex aquis excitantur; quibus altae renovataeque stellae atque omnis aether refundunt eadem et rursus trahunt indidem, nihil ut fere intereat aut admodum paululum, quod astrorum ignis et aetheris flamma consumat. Ex quo eventurum nostri putant id, de quo Panaetium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, quum, humore consumto, neque terra ali posset, neque remearet aër; cuius ortus, aqua omni exhausta, esse non posset; ita relinqui nihil praeter ignem, a quo rursus animante ac deo renovatio mundi fieret atque idem ornatus oriretur.” De nat. deorr. 3, 14. 2, 16. 2, 45.

Sed vel in eo ipso vehementer errabant illi philosophi, quod statuebant non omnia corpora niti in medium, sed terrarum tantum et liquorum et humorum, tenuia autem in auras differri; nam qua lege naturae hoc fieri possit, ut centrum fugiant, quaeritur; deinde, quia medium esse affirmabant, extremum quoque esse contendere debebant, quod Lucretio auctore (1, 997—1020. 2, 1043.) falsum est; denique quum illa corpora, ut ita dicam, aëria et ignea a medio fugiunt, quaeritur, quo in loco colligi possint. Nam si fugiunt a medio per Inane immensum, in infinitum diffugiant necesse est. Hoc bene intellexerunt illi philosophi, quapropter (v. 1094. Diogen. Laert. Zeno. lib. VII. c. 1. n. LXX, 143.) affirmare solebant: at supra circumtegere omnia coelum etc. Haec autem omnia coacti finxerunt, ut docerent, unde aether, stellae, luna, sol orientur ortaque alerentur. Rem totam, quam poëta hoc loco obiter tangit, lib. V, 520—550. 450. 370. copiosius tractat.

Male ii hunc locum interpretantur, qui censent versum 1091. continere verba Lucretii ostendentis philosophos istos etiam in eo errare, quod non omnia corpora fingant in medium niti, sed corpora terrarum atque aquarum duntaxat; nam etiam corpora gravia (Lucretium dicere) quodammodo sursum ferri, quando animalia mortalia e terra vescantur. Hoc Lucretium non dicere elucet ex lib. II, 184—215. Imo Lucretius hoc dicit: tum quae in terra, tum quae in coelo reperiuntur, alimentum, cibum e terra capiunt. Eadem fere sententia legitur 1, 353.

Pro: nisi a terris paullatim quoque cibatum terra det, Lambinus coniectura ductus scribit: Nisi a terris paullatim quisque cibetur sc. ramus; et Gifanius: nisi a terris paullatim quidque cibatur, et addit: quis dixit unquam: terra dat cibatum a terris. Equidem nihil offensionis video; cibatus enim pro cibo vel alimento 6, 1093. dicitur; quidni dici potest: cibum dat terra, unde? sc. e terra. 5, 814:

*Terra cibum puereis, vestem vapor, herba cubile*

*Praebeat, multa et molli lanugine abundans.*



Lib. II, 991—998. In terra recondita sunt corpora individua, ex quibus alimenta conficiuntur, quae in corpora sese dissipant. 1, 353.

Siebelis quoque offendit in hac dictione, et, quia versus 1094. pro spurio a multis habetur, corrigit: Nisi a terris paullatim quemque cibatum: *und es können auch den Bäumen nicht die obersten Aeste grünen, aufser jedem (Ast), der von der Erde gespeist werde; ut cibatum sit participium; quae mutatio, quamquam est ingeniosa, durior mihi esse videtur, quia non perspicitur, quomodo quemque in quoque mutari potuerit, neque sensus est perspicuus.* Versus 1094. pro spurio habetur, quia in codd. Lugd. 2. Vind. Brit. 1. 2. 3. Poor. et edit. Brix. Ver. Ven. Ald. 1. et Bon. prorsus desideratur. Mihi quidem hic locus minime spurius videtur esse, sed potius necessarius, et quum locus difficillimus intellectu esset, facile fieri potuit, ut librarii indocti omitterent aut interpretes, qui sensum non perspexissent, eiicerent. Pergit enim Lucretius absurdam istorum philosophorum opinionem iterare: circum omnia solidos aliquos circumvolvi coelos, qui leves has et a medio fugientes, surgentes particulas sistant et contineant; nisi enim sistantur, istae particulae per immensum Inane subito diffugiunt, coelum ruit, terra se pedibus nostris subducit et dissolvitur totius machinae compages. Quandocumque enim (addit Lucretius) aliqua huius mundi pars secessum facit, totius Universi interitus sequitur. Hoc Lucretius docuit v. 1007.

Pro: „ne volucri ritu flammaram” libri vulgares exhibent volucrum; *volucris* lectio est elegantior; nam ritus flammaram est volucris, quamquam et ipsae flammae volucres dici possunt: *dafs nicht nach der flüchtigen Weise der Flammen etc.* Siebelis, qui falso monet *moenia mundi* nostro in loco significare coelum, quod supra omnia tegat, hunc nostri loci sensum reperit: „*Der Himmel bedeckt Alles, damit nicht der Himmel auseinanderfliege.*” *Ein weiterer Grund, warum der Himmel Alles bedeckt, ist: neve ruant coeli tonitralia templa superne, terraque se pedibus raptim subducat. Also der gleiche Unsinn: der Himmel bedeckt Alles, damit nicht der Himmel einstürze. Und wo ist dann die Centripedalkraft, wenn der umschliessende Himmel es ist, welcher hindern soll, dafs nicht die Erde unter unsern Füfsen sich entziehe und alle Dinge sich auflösen? So häufen sich Widersprüche und Verkehrtheiten etc.*

Fallitur autem Siebelis. Philosophi docuisse videntur, *coelum* res omnes creatas i. e. totum mundi ambitum, **Omne**, circumtegere, ut ne *moenia mundi*, ne tonitrualia templa coeli, neve terra, ergo singulae totius mundi partes, ruant. Diogen. Laert. VII, 70, 138. hoc tradit: *Οὐρανὸς δὲ ἐστὶν ἡ ἐσχάτη περιφέρεια, ἐν ἣ πᾶν ἴδεται τὸ θεῖον.* Virgil. Id. IV, 52, 43. VI, 62, 83. VI, 31—40. Voss. Lucretius V, 511. 450. *Moenia mundi, die Feste der Welt*, non est coelum, quod Siebelis vult, sed mundus. Diogen. Laert. VII, 70.: mundus enim triplicem apud Stoicos habet vim: *λέγουσι δὲ κόσμον τριχῶς: 1) αὐτόν τε τὸν θεόν, 2) καὶ αὐτὴν δια-*

κόσμησιν ἀστέρων καὶ 3) τρίτον τὸ συνεστῆκος ἐξ ἀφοῦν. Vossius ad Virgil. Id. IV, 8—10., ad Georg. I, 5. 240. Moenia igitur mundi sunt regio aetheris stellata, quae quasi vallat mundum, ἄστρ, Eichstaedtio recte monente. Coeli denique tonitrualia templa sunt orae vel loca, in quibus tonitrua fabricantur, unde mittuntur, ubi sedes vel domicilia deorum sunt. Vossius ad Virgil. Georg. III, 242—285. Tom. II, p. 588. haec dicit: „Auf der Höhe des Gewölbes, gleichweit vom Morgen und Abend entfernt, über der Mitte der Erdscheibe, wohnten die Götter in verschiedenen Palästen um Zeus Palast. Dort, von der Burg oder dem Gipfel des Himmels überschaut Jupiter den Erdkreis durch die mittlere Oeffnung der gediegenen Veste; und durch eben diese Pforte sendet Jupiter Donner und Blitz. Ovid. Metam. I, 170. Lucret. V, 147—155. — Addit poeta: *neve ruant coeli tonitrualia templa*, irridens Stoicos, qui deos esse statuebant iisque domicilia attribuebant, quae inter communes rerum ruinas perirent, corruerent. Hoc autem tradebant philosophi: infimum in rerum natura locum obtinet terra in medio posita (Cic. Tuseul. quaest. I, 17, 40.) circumfusa undique (Cic. de nat. deorr. 2, 36.) hac animali spirabilique natura, cui nomen est aër; hunc rursus amplectitur immensus aether, qui constat ex altissimis ignibus; ex aethere innumerabiles flammae siderum existunt, quorum princeps est sol, omnia clarissima luce collustrans, multis partibus maior atque amplior, quam terra universa; deinde reliqua sidera magnitudinibus immensis; ultimus et a domiciliis nostris altissimus (c. 40.) omnia cingens et coercens coeli complexus, qui idem aether vocatur, extrema ora et determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt. Poëta igitur singulas partes enumerat, quae, nisi coelum omnia circumtegat, corruunt. Amat autem singulas partes Lucretius enumerare, I, 1013. — Caeterum poeta nostrum locum videtur respexisse VI, 604:

*Ne pedibus raptim tellus subtracta feratur*

*In barathrum rerumque sequatur prodita summa*

*Funditus et fiat mundi confusa ruina.*

Restat, ut ultimam difficillimi huius loci partem explicemus v. 1100:

*et omneis,*

*Inter permixtas rerum coelique ruinas etc.*

Quaeritur enim, quo referendum sit *omneis*. Lambinus hunc invenit sensum: „et ne omnes homines, solventes inter coeli et terrae ruinas corpora prima, ex quibus constant, i. e. in sua principia resoluti, abeant per Inane profundum.“ Quidam tamen solventeis legunt casu quarto, ut coniungatur cum voce ruinas. **Omnes** nominativus vix esse potest, quia sive ad res sive ad homines, quorum in iis, quae praecedunt, mentio non fit, refertur, sensum probum non affert. Knebel. vertit:

*Dafs unter*

*Allgemeinem Ruin der Erd' und des Himmels sich alles,*

*Aufgelöst in die Stoffe, zerstreut im unendlichen Weltraum.*

Omneis quartus est casus et deleto commate coniungendum cum voce ruinas; corpora non sunt corpora individua, atomi, principia, elementa, sed res creatae, quae evertuntur et in corpora prima solvuntur, hoc sensu: et inter omneis permixtas rerum (vel terrae) coelique ruinas, quibus res creatae solvuntur sc. in corpora prima, abeant i. e. diffugiant per Inane profundum i. e. immensum, infinitum. Corpora enim i. e. res creatae quum solvuntur, discidio redeunt in corpora materiai, 1, 249.; unde fit, ut noster addat:

*Temporis ut puncto nihil exstet reliquiarum*

*Desertum praeter spatium et primordia caeca. 1, 240.*

Pergit poëta:

*Nam, quaquomque prius de parti corpora de'sse*

*Constitues, haec rebus erit pars ianua leti:*

*Hac se turba foras dabit omnis materiai. 1, 754.*

Hisce versibus inest causa, cur isti philosophi fallantur (1067. 1082.), et refutatio rationis istorum philosophorum. Laudat enim poëta ab initio philosophos istos, quod affirmant coelum circumtegere omnia, ne moenia mundi diffugiant; nam si copia diffugiendi corporibus data esset, statim omnia ruerent, solverentur. Eichstaedt legit *de'sse*, rectius Lambinus *cesse*. Nam in iis, quae praecedunt, dictum est philosophos istos tradere, ignem atque aërem a centro niti; ne autem illa corpora ignea et aëria a medio surgentia abeant per immensum Inane, supra circumtegere omnia coelum. Ergo poëta non disserit de eo, quod corpora desint, sed quod decedant. Hoc aperte poëta monet lib. V, 360. Triplicem affert illo loco poëta causam, cur res aeternae manere queant: 1) aut quia sunt solido cum corpore, necesse est, respuant ictus nec penetrare pati sibi quidquam, quod queat arctas dissociare intus parteis; 2) aut ideo durare aetatem posse per omnem, plagarum quia sunt expertia, sicut Inane est; 3) aut etiam quia nulla loci sit copia circum, quo quasi res possint discedere dissolvique. Duplex igitur illorum philosophorum error est, quem refellit poëta: Primum docebant non omnia corpora niti in medium, sed terrae duntaxat et aquae particulas; quum autem a medio, i. e. a terra in Medio posita, corpora ignea et aëria sursum ferantur, ut aether, sidera, luna, sol pascantur, necesse est illa corpora abire a terra et terram sensim absumi. Lib. V, 276:

*Semper enim, quodcunque fluit de rebus, id omne*

*Aëris in magnum fertur mare: qui nisi contra*

*Corpora retribuat rebus, recreetque fluentis,*

*Omnia iam resoluta forent et in aëra vorsa. 5, 250.*

Deinde ne corruat Universum, quod vocant, docent omnia supra circumtegere coelum, nimirum ne in infinitum Inane corpora diffugiant. 5, 360. Ergo dum altera ex parte cavent, ne corpora discedant, diffugiant, ne mundus corruat, quem aeternum esse affirmant, 1, 1052., altera ex parte admittunt, ut corpora abeant, 1, 1036.



*Nam veluti privata cibo natura animantum  
Diffluit amittens corpus, sic omnia debent  
Dissolvi, simul ac defecit suppeditare  
Materies aliqua regione aversa viai.*

Lux quaedam huic loco affertur ex libro quinto. Iam totum locum sic interpreta-  
mur: *Außerdem (irren jene Philosophen v. 1067.), weil sie nicht alle Stoffe nach  
dem Mittelpunkte streben lassen, sondern nur Erd- und Wasserstoffe, die Feuchte  
des Meeres und die von den Bergen abfließenden großen Gewässer und was gleich-  
sam aus irdischem Körper besteht; dagegen aber lehren, die dünnere Luft und  
das Feuer strebe vom Mittelpunkte weg: und darum (aus diesem Grunde) flim-  
mere ringsum der Aether von Sternen und die Flamme der Sonne nähre sich im  
Himmelsblau; weil jegliche Hitze vom Mittelpunkt strebend dort (im Aether) sich  
sammle. Nämlich es nährten sich ja auch aus der Erde die sterblichen Wesen,  
und es könnten durchaus nicht den Bäumen die Spitzen der Aeste (die obersten  
Aeste) grünen, wenn nicht (1091. quippe etiam vesci — saecla,) (wie die sterblichen  
Wesen) aus den Erdstoffen (terris) allmählig die Erde einem jeden seine Nahrung  
gäbe; dagegen bedecke das All ringsum der Himmel, damit nicht nach der flüch-  
tigen Weise der Flammen die Veste der Welt (die Welt d. h. der mit Sternen be-  
setzte Aether) plötzlich aufgelöst auseinander zerflöge im großen (unendlichen) Lee-  
ren, und damit nicht auf gleiche Weise das Uebrige nachfolge, noch das Donner-  
gewölbe des Himmels (der Göttersitz) von oben einstürze und die Erde sich eilend<sup>s</sup>  
den Füßen entziehe und unter (während) dem gesammten vermischten Einsturz  
der Dinge und des Himmels, welcher die Körper auflöst (zerstört), in das boden-  
lose (unbegrenzte) Leere sich zerstreue (verschwinde), so daß im Augenblicke der  
Zeit nichts ferner zurückbleibt, als ein verödeter Raum und die unsichtbaren Kör-  
per des Urstoffs. (Nun folgt zu dem Obigen quoniam der Grund nam, und die  
Widerlegung; außerdem irren sie noch, weil sie annehmen:) Denn,  
wo auch immer zuerst die Grundstoffe nachlassen (cesse), da eröffnet sich auch den  
Dingen die Pforte des Todes: und hier stürzt sich die ganze Masse der Grund-  
materie hinaus.*